



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. II. Religionis Liberorum. Ubi de educandis Liberis in Religione
Catholica, vel Lutherana, quorum Mater erat Lutherana, Pater Catholicus,
sed sub Lutherano Principe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

sona legataria ei, qui legatum fecit, diu in-
serviit. Ob istas rationes, & quia, ut *num.*
præced. sub finem dicitur est, in dubio sem-
per præsumptio est pro causa pia, videtur
legatum hoc aliquod mixtum esse, & quia
in remunerationem obsequiorum factum est,
partim profanum; quia verò etiam in sub-
levationem paupertatis, partim pium: ut
profanum, caducum erit; ut pium, suum
vigorem retinet. Unde videtur divisione
opus esse, & dimidia saltem legati pars in
pias causas infumenda.

16.

Dubium restat, in quasnam pias causas
fit infumenda ista pecunia? an Sacrificia pro-
curanda pro ancillis his, quibus pecuniæ hæc
debebantur, & pro harum consanguineis?
an verò sufficiat applicare, & infumere illas
ad alias pias causas, e. g. ad restaurationem
alicujus Capellæ, ad educationem pauperum
quorundam pupillorum &c. Responden-
dum, pecuniam hanc sequi naturam bono-
rum, quæ, quia Dominus illorum ignora-
tur, incerta dicuntur. Unde sicut hæc in
causas quidem pias ex communi DD. sunt
infumenda, applicatio tamen, & electio
arbitraria est, ita etiam in nostro casu dicen-
dum, pecunias istas vel in pauperes, maxi-
mè pupillos erogari, vel infumi in Missas

pro memoratis ancillis, & consanguineis il-
larum dicendas posse. Ad quascunque ta-
men causas pias applicentur, applicatio fa-
cienda ea intentione, ut animæ defuncto-
rum inde refrigerium habeant; sic enim le-
gatum hoc, cum corpori illarum prodesse
non amplius possit, saltem animæ proderit:
Et hinc longè convenientissimum erit, si in-
sumatur in Missas pro his dicendas. Dece-
bit autem etiam in hoc negotio rem transi-
gere cum Ordinario, qui pecuniæ erogandæ
quantitatem, & erogationis modum statuet:
& huic statuto si familia obligata paruerit,
omni scrupulo conscientiam liberabit.

Hoc nostrum de casu præsentis, salvo me-
liore, Judicium est. Circa executionem id
præ cæteris notandum, ut fideliter, & quan-
tum fieri poterit, celeriter, & mature ob-
ligatio tandiu suspensa effectui detur. Ne-
que ex hoc capite timendum, ne quid rei
familiari deceat; nam ante omnia, ex Chri-
sti monito, quærendum est Regnum DEI.
Quod si studiosè quæsiverimus, & DEO
dederimus, quæ DEI sunt, adjiciet ipse gra-
tiam, & benedictionem suam, ut crescant
etiam temporalia, quæ sæpè imminuit
nostra in DEUM parcitas.

* * *

CONSILIUM II. De educandis liberis in Religione Catholica, vel Lutherana.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Conditionata Promissio de educandis Libe-
ris in Religione Lutherana non obligat Pa-
trem Catholicum absolute.
3. Ostenditur, promissionem fuisse conditiona-
tam, & ratio dubitandi refellitur.
4. Nec obligatur, etsi promississet absolute.
5. Pater Catholicus non potest cogi, ut filium
tradat Lutherana doctrinâ imbuendum, idque
6. Nec vi promissionis,
7. Nec vi decreti à Consistorio Lutheranò edi-
ti.
8. Non obligatur filius promissione Patris, ut
se instrui permittat in Religione Lutherana.
9. Nec Pater, aut ullus alius cogere ipsum po-
test, ut fidem Catholicam deserat.
10. Pater non potest puniri ob fugam filii se
in scio initam.

SPECIES FACTI.

I.

ANte complures annos in lo-
co, Principis Protestantis
ditioni subiecto, Titius
Mercator Catholicus fecit
Sponsalia cum Sempronia
addicta sectæ Lutheranæ,
cum qua cum proximè Matrimonium solen-
niter contrahendum esset, negavit Parochus
Lutheranus ei se adstiturum, nisi scripto spon-
sus promitteret, non solum se sponsam suam
Semproniam in Religione sua quietè vivere
permitturum, sed etiam se, casu quo veram
hanc sectam indubitanter agnosceret, ad
eam transiturum, & liberos suos omnes in
R. P. Schmalzgueber Consil. Tom. I.

ea educaturum. Displicuit petitio ista Titio
vehementissimè, præsertim cum nec Sem-
pronia sponsa, nec Parentes illius, vel con-
sanguinei quidquam hujusmodi ab eo desi-
derassent; jamque decreverat potius à Matri-
monio promisso desistere, quàm petitioni
datæ subscribere. Videns hoc Parochi su-
pradiçti Diaconus, repetitis vicibus apud Ti-
tium institit, & (quod juramentò contesta-
ri paratus est) adductis etiam exemplis alio-
rum Catholicæ Religionis, qui nihil pro-
pter ejusmodi subscriptionem molestiæ pas-
si sint, protestatus est, hujusmodi promif-
sionem in speciem tantum fieri, & ideo so-
lum, ne porro difficultates Matrimonio ob-
jiceret Parochus. Sic tandem persuasus Ti-
tius

B

tius

tius subscripsit, non alio, ut iterum juratus testari vult, animo se obligandi, quam conditionato, ad educandos liberos suos in secta Lutherana, si pro hac veritatem stare indubitanter agnosceret. Et ita contractum Matrimonium est, in quo per complures annos vixerunt, Titius in sua Catholica, & Sempronius in sua Lutherana fide; liberi verò ex loci, in quo domicilium fixerunt, consuetudine, masculi in patris, foemellæ in matris Religione educabantur. Nihil super hoc unquam moverat uxor Sempronius, nihil consanguinei illius, nihil mater, quamdiu filia superstes fuit. At cum ante quatuor, vel quinque annos hæc decessisset, avia filiorum Titii, Sempronius mater, alias infensa Titio, importunis querelis & supplicationibus eò tandem deduxit rem, ut is filium natu majorem, quatuordecim annorum adolescentem, & in Catholica patris Religione hæctenus educatum, è loco Catholico, ubi tunc studiorum causâ degebat, à Consistorio non solum juberetur revocare domum, sed etiam mandatum acceperit, ut à se illum dimitteret, & ad scholam Lutheranam à Consistorio prædicto designatam, in fide Lutherana, & litteris instruendum suis impensis mitteret. Deprecatus hoc diu in Consistorio fuit Titius, conscientiam suam, & filii voluntatem in Catholica Religione persistendi obtendens; Sed cum nihil ageret, ad Severissimum provocavit, cujus Decreto jussus pater est sumptus suggerere, ipsum verò Consistorium curam mittendi filii ad scholam prædictam in se suscipere. Decreto huic pater afflictus se submisit, filiumque etiam ad partitionem, & patientiam cohortatus est. Sed Consistorium eò usque cunctationem executionis fecit, dum tandem filius opportunitatem nactus, è domo paterna solus, patre inscio, qui eundem altero mane Consistorio ex hujus Decreto sistere cogitabat, sese subduxit. Cum pater fugam filii comperisset, ipsemet eandem Consistorio indicavit, cum oblatione ad juramentum, nihil se de hac, & hujus intentione unquam scivisse. Verum Consistorium, nulla præterea rei disquisitione facta, eundem ad eam, quæ in Decreto Consistorii citatorio taxabatur, mille imperialium multam condemnavit, quos etiam quamprimum sub interminatione dedecorosa incarcerationis deponere fuit coactus.

QUÆRITUR I.

An promissio Titii scripto data, eundem obliget purè & absolute ad liberos suos omnes educandos in Religione Lutherana?

2.

IN hac Quæstione certum omnino, & indubitatum est, Titium vi promissionis suæ non obligari purè, & absolute ad liberos suos omnes educandos in Lutherana Religio-

ne, si promissio hæc ejus conditionata fuit, & pendens ab ea conditione, si scilicet ipse Titius in Religione Lutherana verum fidei orthodoxæ lumen unice invenerit; nam conditionis promissioni, & stipulationi adjectæ ea natura est, ut antequam extet conditio, nihil dandum debeatur, sed tantum ipse sit, pendente conditione debitum iri,

ut habetur §. *sub conditione. 4. Inst. de Verb. Obligat. l. conditionales. 54. ff. de Verb. Signif. l. 16. ff. de Condit. indeb. l. 26. ff. de Condition. institution. l. 5. §. 2. ff. Quando dies leg. l. cedere diem 213. de Verbor. Signif.* Et docent Vinnius in §. *sub conditione cit. n. 5.* Harprecht *ibid. num. 1. & 8.* Eckolt in *Pandect. lib. 45. tit. de Verb. Oblig. §. 17.* & consentiunt DD. omnes.

atque conditio, sub qua Titius promisit, se educaturum liberos suos in Lutherana Religione, nondum est impleta; protestatur enim, se per DEI gratiam in sua Catholica Religione usque in præsentem diem semper adhuc ita firmum stetit, ut nullum circa hanc scrupulum, ne dicam hæsitationem in se unquam expertus fuerit. Igitur vi promissionis, si conditionata hæc fuit, nihil adhuc debet simpliciter, & absolute. Sed

DUBITARI I. Potest, an revera promissio hæc Titii conditionata fuerit? Rationem dubitandi faciunt verba ipsius obligationis oblata Titio, quam manu sua subscripsit, ubi sic loquitur: *Als verspriche ich deroselben (nempe Sempronius) daß sich sie bey ihrer Religion ungehindert/ und beständig verbleiben lassen wölle -- auch da ich selbst nach fleißiger Nachforschung ungezweiflet finde / daß dies allein das wahre Licht seye / mich darzu bequemen / meine künfftige Erben aber -- alle zu dem Evangelischen Glauben aufziehen wölle, &c.* In his verbis difficultatem aliquam facit particula *aber* / an scilicet adversativa sit promissioni, quam de se fecit Titius, & cum ipse sponderet solum, quod sub conditione, qua agnosceret eam esse veram Religionem, velit illi se jungere, de liberis autem promiserit absolute, quod curare velit, ut educentur in dicta Religione, etsi ipse eam nec susciperet, nec veram agnosceret: vel utrum sensum habeat diversificativum subjecti, & modi, re ipsa verbò conditionem adjectam conversioni patris extendat etiam ad educationem liberorum in fide Lutherana. Primo modo eam particulam interpretantur Adversarii, secundo modo ipse Titius. Standum pro Titio, & dicendum, promissionem de educandis liberis in Religione Lutherana solum conditionatam fuisse, & affixam conditioni, cui affixa mansit conversio patris, si nimirum ille verum Lumen Fidei Lutherana indubitato agnosceret. Conclusio ex Juris principiis est omnino certa, probaturque triplici argumento. I. Promissio non plus obligat, quam pro-

3.

Dubium I.

Resolvitur.

promittens intenderit se obligare, ut omnes fatentur, & certa etiam demonstrat ratio: quia ab intentione promittentis, & acceptatione promissarii totam vim suam promissio habet. Accedit præterea, quia, ut notum principium habet, actus agentium non extenditur ultra intentionem illorum. Atqui Titius non habuit animum aliter se obligandi ad liberos educandos in Secta Lutherana, quam sub conditione, si eam veram esse agnoverit, quod iuramento contestari paratus est, & circumstantiæ indicant in specie facti positæ. 2. Si fuisset promissio hæc absoluta, difficultatem Titio movisset uxor, restitisset non primum post mortem Filix illius mater, non dissimulasset urgere executionem promissi Consistorii Assessores; neque enim tot annis latere hos poterat, quod Filios Pater Titius in Religione Catholica educaret, eratque in omnium oculis, quod natu majorem ex illis studiorum causâ in locum Catholicum, & Scholam Catholicam erudiendum dimiserit. Atqui Consistorium, etsi aliàs zelosi sint in iis, quæ fidei suæ sunt, nihil difficultatis Titio intra tot annos movit; Mater Sempronix, etsi aliàs infensa Genero, dissimulavit altum usque ad mortem Filix; ipsa Sempronia optimè contenta fuit cum Titio, quod scemellas permisisset in sua matris Religione erudiri, & educari, & hoc non tanquam sibi debitum; cum pacta dotalia nihil de eo contineant, sed tanquam gratiam, & benevolentiam sibi concessam agnovit, quod demonstrare paratus est Titius. 3. Stipulatio (idem est de omni promissione) est stricti Juris, quia odiosa est, & onus imponit stipulanti. Sed ea, quæ stricti juris sunt, ultra verba extendi non debent.

L. quidquid adstringenda. 99. ff. de V. O. Maxime si agatur de libertate; Hac enim omnibus rebus est favorabilior. L. libertas. 122. ff. de Regul. jur. Et idcirco in dubio secundum libertatem est respondendum. L. quotiens 20. ff. eod.

Igitur neque promissio Titii aliter intelligenda est, quam verba sonant. Atqui verba aperte sensum conditionatum habent, & etsi dubium faceret particula *aber*, secundæ parti de educatione liberorum adjecta, dubium tamen hoc satis determinavit intentio Titii, quæ tantum in Jure valet, ut etiamsi sonarent aliud, quam mens loquentis intenderit, si pro hac manifestæ sint conjecturæ, menti potius, quam verbis inhærendum.

ut habetur *c. in his. de Verb. Signif. ibi. Non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.* Quod verò mens Titii fuerit, educationem liberorum in fide Lutherana non aliter promittere, nisi sub conditione, si ipse eam fidem veram agnoverit, clara probant indicia; quia resilire à Matrimonio promisso omnino decreverat potius, quam onus hoc conscientix suæ gravissimum im-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

ponere, nec aliter in verba sibi proposita voluerit subscribere, quam ubi à Diacono Lutherano audiit, promissiones ejusmodi pro forma fieri, nec ullum Titio inde accessurum onus, quam ut se ritui & consuetudini gentis, in qua viveret, accomodaret; est autem consuetudo, ut testatur Titius, in gente illa, ut cum Catholica persona cum Lutherana contrahit, non omnes liberi in Lutherana educari debeant, sed scemellæ matris, masculi patris Religionem sequantur. Igitur ad summum promissio Titii se ad hoc extendit, quod etiam fecit, & sic violati promissi reus agi non potest. Dixi *etsi Dubium faceret particula aber*; frivola enim omnino est controversia, quæ ex hac particula movetur Titio; cum clarum sit in casu nostro, eam non *adversativam* sed, *copulativam* esse, nec promissionem de liberis educandis in Religione Lutherana disjungere, sed cum ea conjungere. Nec novus est hic explicandi modus, sed passim usitatus illius particule sensus. Pone enim, quod Cajus promittat Mævio, si is in hortum suum venerit, se quoque eò venturum, liberos verò suos, qui ob ætatem eò ire non possent, curaturum illuc portari: pone dein Mævium non implere conditionem datam: Igitur nec Cajus tenebitur eò ire; sed num cogetur eo casu liberos suos in hortum mittere? nemo certè hanc obligationem foveret. Quis igitur prohibebit, etiam in nostro casu Titium ab obligatione liberos in fide Lutherana educandi liberum dicere? aut quæ ratio coget dicere, particulam *verò* in casu Caji promissionis alteram partem cum conditione connectere, in casu Titii eandem disjungere? certè nulla est inter utrumque casum disparitas: dicendum igitur, promissionem utrimque conditionatam esse.

DUBITATUR 2. An posito etiam, non tamen concesso, quod hæc Titii verba promissionem puram, & absolutam contineant, si vi illius obligetur ad liberos omnes in fide Lutherana educandos? Respondendum negativè. Ostenditur 1. Ad hanc promissionem faciendam dolò inductus est Titius à Diacono, quod iuramento testari paratus est ipse, & idem Diaconus contestari posset, si veritatem fateri vellet; induxit enim hic Titium, ut formulæ sibi datæ subscriberet, quod diceret, subscriptionem istam solum pro forma fieri, & absque præjudicio; & ita subscripsit. Sic autem verba hæc, etsi promissionem puram, & absolutam contineant, non tamen obligant; Nam promissio, quæ solum pro forma, & in speciem fit, non est vera promissio, & obligare non potest, cum desit intentio se obligandi, quæ promissionis obligatorix anima, & substantia est. Confirmat defectum intentionis absolutè se obligandi protestatio de non faciendi sibi præjudicio per hanc promissionem: nam maximum sibi, & conscientix suæ præjudicium fecisset, si, cum ipse solam Catholicam Religionem veram esse agnosceret, absolutè se

4.
Dubium 2.

Resolvitur.

obligare voluisset ad liberos suos educandos in Religione, quam in conscientia sua judicabat falsam; hoc enim quid aliud foret, quam positivè velle cooperari ad filiorum suorum damnationem? ergo hoc ipso, quòd absque præjudicio suo sit iustus subscribere, non potuit habere intentionem se obligandi absolutam, & seriam. 2. Etsi promissio Titii absoluta fuisset, & seria, nemini tamen ex ea jus ullum accrevisset, quàm Sempronia; ad hanc enim promissio dirigebatur, ut verba sonant: *Als verspriche ich deroselben.* Atqui juri huic renuntiavit factò ipso Sempronia, dum filios in Religione Catholica educari, & ex his natu majorem in locum Catholicum ad Scholam, & Litteras addiscendas mitti à patre, eumque diuturno tempore usque ad obitum suum sine contradictione ibi passà est commorari. Et quòd non metu tantum, aut violentià patientià hæc ab eadem extorta fuerit, ostendit transactio de fœmellis educandis in Religione matris: Masculis verò in Religione patris, quam intercessisse inter eos sæpè ex Sempronia ipsa audisse se, quatuor testes fide digni manu, & sigillo suo testantur. Cum igitur posterior voluntas revocet priorem, etsi per promissionem Titii inducta fuisset obligatio absoluta, & per eam jus quæsitum Semproniæ, per hanc transactionem tamen, & patientiam Semproniæ fuisset eidem renuntiatum. 3. Etiam si promissio hæc nec dolo obtenta, nec à Sempronia Titii uxore remissa fuisset, tamen non obligaretur eadem Titius. Propositio hæc in principiis fidei Catholicæ omnino certa est; est enim apud omnes Catholicos explorata, & indubitata veritas, non posse parentes Catholicos positivè cooperari ad hoc, ut filii sui educantur in alia adversa Religione: & hinc apud eosdem certum est, pacta in conjugiiis, quæ inter Personam Catholicam, & aliam alterius cujuscunque Religionis adversæ ineuntur, ut masculi sequantur fidem patris, fœmellæ matris, esse prorsus impia, & irrita. Verba hæc sunt Doctorum, & inter hos sunt

Navarr. lib. 1. consil. tit. de constitut. conf. 1. n. 63. Azor tom. 1. Instir. moral. l. 8. c. 11. q. 6. Layman. lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 14. n. 3. Tanner Disp. 8. de matrim. q. 4. dub. 5. n. 91. Sanch. lib. 7. de matrim. Disp. 72. n. 6. Palao Disp. 4. de matrim. p. 11. n. 8. Conink in 3. p. Disp. 31. Dub. 4. Diacastillo Disp. 7. n. 15. Perez de matrim. Disp. 36. sect. 2. n. 6. Marchant. in Candel. tract. 8. lect. 15. Manual. Paroch. p. 2. c. 7. n. 5. Stephan. à S. Paulo tract. 5. Disp. 8. n. 76. Pirhing in libr. 4. Decret. tit. 1. n. 167. Gobat. tom. 1. tract. 9. n. 221. ubi addit, nullo prorsus, quem legerit, dissentiente, certam esse apud Catholicos hanc veritatem.

Nam 1. ejusmodi pacta sunt contra Jus Ecclesiasticum, quod præscribit, ut ex alterutro parente Catholico suscepta proles Catholicæ Religionis sacris initiatur.

C. ex Litteris. de Convers. infidel. & can. Judai. 22. q. 1.

2. Pugnans cum Jure Divino, per quod parentibus imponitur cura educandi liberos in vera Religione. 3. Adversantur ipsi naturæ juri, nam lex naturæ jubet, ut parentes filios educant iis moribus, quibus non impediuntur à consecutione ultimi sui finis; inter hæc autem maximè est Religio. Unde hoc tandem pro responsione nostra argumentum ducitur: promissio, ut obliget, de relicta fieri debet; nam illicitum promitti non potest, cum sit obligatio ab illo abstinendi.

C. final. de pactis. l. Si stipulor. ff. de V. S. Hinc Ulpianus

L. generaliter. de V. O. Generaliter, inquit, novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.

Hinc Isidorus,

prout refertur *can. in malis. §. caus. 22. q. 4.*

In malis promissis, ait, rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: impia est promissio, quæ scelere impletur. Atqui obligare se velle ad procurandum, ut filii educantur in Religione, quam promittens in conscientia sua judicat, certò falsam esse, est indubitato illicitum; quia, ut paulò antè ostendimus, pactum ejusmodi legi naturali, Divinæ, & humanæ repugnat: igitur obligare hujusmodi promissio promittentem non potest. *Cont. impossibilibus nulla est obligatio.*

L. 185. ff. de R. J.

Atqui stipulatio & promissio de re illicita in Jure non minus habetur pro ea, quæ est de obiecto impossibili, ac illa est, quæ est de obiecto, quòd natura fieri non concedit,

ut habetur *l. si stipulor cir. l. filius 15. ff. de Condit. Inst.*

Atque hinc istam facti, illam Juris impossibilitatem Legistæ appellant. Ex hoc autem secundo genere est promissio educandi liberos contra conscientiam in Religione, quam promittens judicat esse falsam: ergo ad eam implendam inducere obligationem non potest. Dicent fortasse Adversarii, se hoc argumento non urgeri, quippe qui Catholicam Religionem erroneam, suam veram existimant. Sed esse non urget apud ipsos, urget saltem in Titio, cui persuasa est Catholicæ Religionis veritas: unde stante hac persuasionem, quam utpote benè instructo illi eidem nunquam tollent, non nisi illicitè promittere educationem prolium in fide Lutherana potuit, & consequenter si promissio

fit, non obligatur promissionem implere.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

An, postquam Titii filius natus major, non contradicente Matre, Avia, aut ullo ex Lutherana Secta addictis, ad 14. etatis annum usque in patris, id est, Catholica Religione educatus palam, & probe instructus, & nunc ita constitutus est animo, ut vivere in hac Religione, & mori constanti voluntate decreverit, vigore promissionis à se factæ, aut vi decreti à Consistorio editi, Titius eundem hunc suum filium inuitum, & renitentem ad Lutheranam convictum & Scholas mittere, & eo adniti debeat, ut deinceps in Religione Lutherana instruat?

5.

Respondendum negativè. Cujus Responsionis probatio, si solum cum Catholicis Controversia nobis esset, non multà indigeret operâ. Demonstravimus enim *num. preced.* hujusmodi promissionem illicitam esse, & propterea non obligare. Sed quia cum iis nobis res est, cum quibus in puncto ipso Religionis, quæ probationis istius fundamentum est, controvertimus, ea nobis applicanda sunt arma, quibus vel ipsimet utuntur, vel quæ saltem recusari ab eisdem non possunt. Abstrahamus ergo ab ea quæstione, an ex objecto suo hæc promissio sit illicita, qualis tamen certò est ex principiis fidei Catholicæ; cum intrinsicè malum sit conferre positivè ad pervertendum alios: unde nec pactum juramentò firmatum in eo casu obligare potest; quia juramentum, quod vergit in dispendium animæ jurantis, & injuriam Creatoris, servari nec debet, nec potest.

Arg. à contrario c. cum contingat. 28. de jurejur.

Duplex
dubium.

Abstractione facta ab hac controversia, duplex formari Dubium potest. 1. An Titius vi promissionis à se factæ obligetur ad educandum Filium in Religione Lutherana? 2. An vi decreti à Consistorio editi teneatur eundem mittere ad Convictum, & scholam Lutheranam eo fine, ut in Religione hac instruat?

6.

Resolvitur
Dubium 1.

Ad I. Responsio est negativa, quæ multiplici ratione potest ostendi. 1. Si Titius teneretur ex vi promissionis à se factæ hunc suum filium ad Convictum, & scholam Lutheranam mittere, teneretur ex eo, quia promisit se educaturum liberos suos in fide Lutherana: atqui hoc alterum tantum promisit conditionatè, ut num. 3. diximus, sub conditione scilicet, si in ea fide verum lumen deprehenderit: & hæc conditio nunquam adhuc impleta est, imò poterat Titio in fide Catholica ritè instituto, certum esse, nunquam eam implendam: igitur neque vi ejusdem promissionis tenetur eundem ad Convictum, & scholam Lutheranam mitte-

re instruendum in fide; ubi enim ad finem non est obligatio, etiam non est obligatio ad media, quæ solum applicantur in ordine ad suum finem. 2. Aliud est curare, ut educentur filii in fide Lutherana, & aliud curare, ut, si Catholicam aliquando susceperint, eà deposità transferantur ad Lutheranam. Primum promisit Titius, & quidem conditionate tantum; alterum non promisit, imò nec promittere potuit; cum quisvis sui compos sit sui juris in iis, quæ ad Religionem, & animæ salutem pertinent, ut pluribus infra ad tertiam quæstionem ostendemus. 3. Si Titius filios suos educasset in Lutherana religione, & hic natus major, abjuratà illà, incio patre transisset ad Catholicam, vi promissionis suæ ad nihil porro obligaretur; quia jam fecisset illud, ad quod obligabatur vi promissionis. Pariter ergo non tenetur ad aliquid; postquam idem filius in religione Catholica educatus, factus est sui juris in iis, quæ Religionem concernunt; non enim minus solvitur obligatio, cum tempus obligationis transit ad impossibile, quam cum impleta est obligatio. In casu antecedentis fuisset impleta, in casu consequentis ad impossibile transit; quia ipso jure naturæ doli capax liber est in iis, quæ fidem, & salutem concernunt. 4. Promissiones omnes, & pacta tacitam in se hanc conditionem habent, ut intelligenda sint obligare *rebus sic stantibus*, scilicet in eo statu, quo fuerunt tempore factæ promissionis; non verò si mutantur ita, ut in promittentis potestate situm non sit promissionem implere.

Ita cum Seneca, & Tullio docet S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. Cajetan. *ibid.* q. 88. art. 1. & q. 113. art. 1. Sotus *lib.* 7. de *justit.* q. 2. a. 1. ad 1. Navar. in *manual.* c. 19. num. 7. Molin. *tract.* 2. de *justit. disp.* 272. num. 1. Less. *lib.* 2. de *just.* c. 18. *dub.* 10. num. 71. Pal. *tract.* 32. *Disp.* 2. p. 12. n. 2. qui addit: *quod verum habet, esto promissio juramento firmata sit; quia juramentum roborat promissionem in eo sensu, quo promissio facta est, & non in alio, ut colligitur ex c. quemadmodum. de jurejur. & notant præcitati DD.*

Nemo autem censetur promissionem suam extendere etiam ad eas circumstantias, quibus ita mutatur status personarum, vel rerum, ut in promittentis potestate situm non sit amplius implere promissionem. Et talis mutatio facta est in casu nostro; cum enim Titii natus major filius jam quatuordecim annos ætatis habeat, & sic satis intelligat, quæ Religionem concernunt, & conscientiam circa Religionis punctum, hoc negotium omnino relinquendum est ipsius arbitrio. Vult autem, utpote de Religionis veritate planè persuasus, in eà perseverare usque ad mortem. Igitur jam non tenetur parens stare sua promissione, & filium à

Religione ista abducere. §. Summum quod cogitari potest, ad quod Titius vi promissionis suae obligetur, est, quod curare velit, ut reducatur filius ad sectam Lutheranam; quidquid enim ultra hoc est, esset promissio de facto alieno, quae secundum leges est prorius irrita.

Ut habetur §. si quis alium. 3. Instit. de inutil. stipulat. l. inter stipulantem. 83. in princ. ff. de Verb. Oblig. & l. stipulatio ista. 38. in princ. ff. eod.

Rationem indicat Juris-Consultus in dicta l. inter stipulantem; quia ad stipulationem requiritur, ut negotium geratur inter ipsos contrahentes, stipulantem scilicet, & promittentem. Atqui supposito, quod nolit filius à fide Catholica, in qua haecenus educatus est, desciscere, non potest illum pater ad istud cogere; quia, ut diximus, in hoc negotio cuius sua relinquenda libertas est: ergo in eo casu non est, ad quod vi promissionis obligari Titius possit.

7.
Resolvitur
Dubium 2.

Ad alterum, nempe an Titius obligetur vi decreti à Consistorio editi filium renuentem, & invitum ad scholam Lutheranam in hac secta erudiendum mittere, iterum responsio est negativa. Probatur argumento irrefragabili, & quod ipsimet Adversarii nostri, cum à Catholicis in simili causa aliquid patiuntur, semper solent opponere. Nam decretum hoc directe repugnat Paci Religionis, quae inter utramque partem, Catholicos, & Protestantos anno 1555. 25. Septembris Augustae inita, & adeo sancte ab utraque parte firmata est. Imponit enim hoc decreto suo Consistorium necessitatem Titio cogendi filium, & filio necessitatem deserendi fidem Catholicam; cum tamen per dictam Pacem Religionis cuius omnino detur plena libertas assumendi, & retinendi quamcunque Religionem ex duabus in Imperio toleratis, Catholicam, vel Protestantem. Verba Reecessus Imperii de anno dato sunt haec, & imprimis quidem in favorem Confessionis Augustanae §. 15. sic dicitur: Und damit solcher Fried / auch der spaltigen Religion halben -- aufgericht / und erhalten werden möchte, so sollen die Kayserliche Majestät / wie auch Churfürsten / Fürsten / und Stände des Zeil. Reichs keinen Stand des Reichs von wegen der Augspurgischen Confession, und derselbigen Lehr, Religion, und Glaubens halben / mit der That gewaltiger Weis überziehen -- oder in andere Weege wider sein Consciens, Wissen und Willen von diser Augspurgischen Confession Religion -- tringen / oder durch Mandat, oder in einiger anderer Gestalt beschweren / oder verachten / sondern bey solcher Religion -- auch ihrer Saab und Güter -- fridlich und ruhig bleiben lassen. Subditur §. 16. in favorem Religionis Catholicae in haec verba: Dargegen sollen die Stände / so der

Augspurgischen Confession verwandt / die Römische Kayserliche Majestät / Churfürsten / Fürsten / und andere des Zeil. Reichs Stände der alten Religion anhängig / Geistliche oder Weltliche -- gleicher Gestalt bey ihrer Religion, Glauben / Kirchen / Gebräuchen -- auch ihrer Saab / Gütern / ligend / und fahrend -- unbeschwert bleiben / und sie derselben fridlich und ruhig gebrauchen / genüssen / unverweigerlich folgen lassen ic. In quibus verbis Carpzovius nobilissimus in Saxonia Juris-Consultus.

Definit. forens. p. 3. constit. 14. definit. 10. Agnoscit ipse, utramque Religionem tam Pontificiam, quam reformatam in Imperio permissam esse, ita ut ab una ad aliam liber sit transitus absque honorum, fama, vel honoris jactura. Ac proinde concludit, jus successionis, vel hereditatem sibi delatam non amittere Lutheranos, si Catholicam amplexi Religionem fuerint. Et rationem addit: quia nulla est haec libertas, si liberi ob Religionem à familia, & hereditate excluderentur. Ut verò sanctius haec Pax Religionis observaretur, non una tantum vice sancita, sed saepius etiam confirmata est.

Per diversos Reecessus Imperii, ac primo quidem Francofurti anno 1569. 14. Junii §. 27. Ratisbonae anno 1641. 10. Octobris §. 15. & clarissime in Instrumento Pacis Monasteriensis 1648. 24. Octobris.

Ubi postquam art. 5. §. 1. decretum fuit, ut Transactio 1552. Passaviae, & hanc anno 1555. Secuta Pax Religionis sancte, & inviolabiliter observetur, §. 33. in eodem Instrumento haec adduntur: Placuit porro, ut illi Catholicorum subditi Augustanae Confessionis addicti, ut & Catholici Augustanae Confessionis Statuum subditi, qui anno 1624. Publicum, vel etiam privatum Religionis sua Exercitium nulla anni parte habuerunt, nec non qui post Pacem publicatam, deinceps futuro tempore diversam à Territorii Domino Religionem profitebuntur, & amplectentur, patienter tolerentur, & conscientia libera domi devotioni sua, sine inquisitione, aut turbatione privatim vacare, in vicinia verò, ubi & quoties voluerint, publico Religionis Exercitio interesse vel liberos suos exteris Religionis suae scholis, aut privatis domi Praeceptoribus instruendos committere non prohibeantur &c. Et §. 35. Quodsi verò subditus, qui nec publicum, nec privatum Religionis sua Exercitium anno 1624. habuit, vel etiam qui post publicatam Pacem Religionem mutabit, sua sponte emigrare voluerit, liberum ei sit, aut retentis bonis, aut alienatis discedere &c. Quae omnia iterum confirmata sunt.

Per Reecessum Imperii promulgatum Ratisbona anno 1654. 17. Maji §. 193. Ubi in hunc modum habetur: Wir setzen / und ordnen auch / das kein Stand gegen den andern / oder des

sen Land und Leuth / oder auch ges
gen seine eigene Untertanen / und
Burger in Religions Sachen wider
den Frieden / Schluß mit Gewalt /
und eigenmächtiger Begimmung das
geringste nicht attentiren / oder vor
nehmen / sondern ein jeder dasjenige
was er vermeynt / das ihm gebühre /
mit behörigen Weeg Rechtens sus
chen / und denen / so darwider bes
chweret wurden / auf Begehren /
mandata inhibitoria gehöriger Or
then ertheilet / und vollzogen werden
sollen.

Colligamus jam in Corollaria, quæ in ci
tatis Imperii Recessibus, & Instrumen
tis decreta sunt, & ab utriusque partis con
sensu firmata toties. 1. Decernitur, ut ne
mini inferatur vis Religionis gratiâ, aut co
gatur contra conscientiam suam ad suam de
lerendam, & alienam assumendam. 2. Præ
cipitur, ut illi subditi, qui diversam à territo
rii Domino Religionem profitentur, patient
ter tolerentur, & conscientia liberâ permit
tantur vacare Religionis suæ Exercitiis, pri
vatim, vel publice, ut dictum est. 3. Fa
cultas datur parentibus, ut liberos suos ex
teris Religionis suæ scholis instruendos pos
sint committere. 4. Permittitur, ut qui Re
ligionem suam mutare voluerit, liberum ei sit
è patria emigrare. Componamus jam istis De
cretis Decretum Consistorii adversus Titium.
1. Jubeatur filium Catholicè educatum è loco
Catholico, ubi studiorum causâ substiterat,
vocare. 2. Præcipitur ei, ut mittat illum
ad scholam, & Convictum Lutheranum,
ut in eo dogmate instruat. 3. Cum au
fugisset è domo paterna filius, ut sibi de
Religione sua, in qua ad extremum vitæ
manere decrevit, caveret, mandatum ac
cipit pater, ut illum revocet. 4. Ob
fugam filii gravi mille Imperialium militi
affectitur. Nunquid non hæc apertè vis
est, quatuor prædictis capitibus omnino
contraria? Si à Catholicis ista adversus
Confessionis Augustanæ additum aliquem
fieri contingerent, nunquid non statim
provocarent Adversarii nostri ad hos Re
cessus Imperii? nunquid non læsam dice
rent Pacem Religionis adeò sanctè jura
tam? nunquid non peterent sibi ministra
ri justitiam ex Pacis Monasteriensis Decre
tis, & jure ipso libertatis, quæ, si un
quam, hic maximè valere debet? Cur ip
si tam indulgentes in se volunt esse Catho
cos, & in hos ipsos iidem sunt adeò rigi
di? cur libertatem volunt eisdem adimere
fidem suam servandi, quam libertatem si
bi desiderant tam sanctè
servari?



QUÆRITUR III.

An filius Titii vi promissionis
à patre facta, contra voluntatem suam
cogi possit, ut se in contraria Religione cu
ret instrui, & non potius ad eam, qua
per Recessus Imperii, per Instrumentum
Pacis Monasteriensis, & Privilegia loca
lia omnibus data est, libertatem Religio
nis & conscientia ei liceat
provocare?

DUO in hac Quæstione iterum dubia esse
possunt. 1. An obligetur filius pro
missione Titii Patris? 2. An pater, vel
ullus alius eundem cogere ad Religionem
Catholicam deserendam, & Lutheranam
amplectendam possit? Ad I^{um} respondetur
non obligari filium hac patris promissione.
Responsio est certa ex legibus. Probatur.
Sicut nemo factum alterius potest promitte
re, ita etiam nemo alterius promisso, aut
contractu obligari potest,

ut in §. si quis alium. Inst. de inutil. sti
pulat. docent Vinnius n. 1. Harprecht
ibid. eod. num. & alii DD. omnes.

& ostendit manifesta ratio: nam de se quem
que promittere oportet, & non de alio.

L. 83. ff. de Verb. Oblig.

& obligationes ex nostra persona, non al
terius, initium ut sumant, necesse est.

L. 11. ff. de oblig. & action.

Atqui filius de se nihil promissit, neque in
conscientia sua de Religione Catholica ullum
serupulum habet, ut alio ex capite tene
tur ulterius indagare. Igitur promissione
Titii non obligabitur, sed hæc, tanquam
res inter alios acta censeretur debet, & quæ
proinde nulla ex parte libertatem illius di
minuat. Neque obstat, quòd Pater & Fi
lius in jure censeantur eadem, & una perso
na, ut sic pater promittens pro filio factum
alienum promississe censeretur non debeat, sicut
nec factum alienum promississe censeretur, qui
factum Heredis sui promissit.

L. stipulatio ista 38. ff. de Verb. Oblig.

Nam in iis, in quibus filius est sui juris, non
censeretur eadem esse persona cum patre. 2.
Si ex promissione patris obligari filius pos
set, id esset ob patriam potestatem, qua,

ut Aristoteles 8. Eth. c. 12. ait:

Pater naturâ imperat liberis, sicut Rex subdi
tis. Et

ut Plinius in Panegy. Traiani c. 38.

ius & lex natura semper in ditione parentum
esse liberos jussit. Atqui nec patris, nec ulla
alia potestas ad hoc se extendit, ut obligare
aliquem possit ad deserendam Religionem,
quam in conscientia sua indubitato judicat es
se veram; nam huic potestati resistit præce
ptum Divinum, quo jubetur filius etiam ad
versus patrem, & matrem sequi vocantem
Christum: qui amat patrem, aut matrem plus
quam me, non est me dignus. Matth. 10. Unde
sequitur

8.

Geminum
Dubium.

Resolvitur
Dubium.

sequitur, quòd, si cogere, aut obligare pater filium vellet ad relinquendam Religionem suam, de qua persuasus est esse omnino veram, & adigere ad amplectendam aliam, de qua persuasus est, esse falsam, gravissimam eidem inferret injuriam, & tantò gravio- rem, quantò jactura est major. 3. Aliud est, ut num. 6. diximus, curare, ut educen- tur filii in fide Lutherana, & aliud curare, ut transferatur à Catholica ad Lutheranam. Hoc alterum non promittit Titius, sed so- lum primum, & quidem hoc conditionatè tantum. Igitur ad summum obligare vi promissionis à se factæ filios suos Titius potuit post impletam conditionem. Imò ne tum quidem potuit, ut manifesto argumento ostenditur; nam ad quod cogere parens fi- lium suum non potest, ad id etiam non po- test eundem vi promissionis à se factæ obli- gare: atqui nec parenti, nec ulli alii homi- num concessum est filios, alicui ex Religio- nibus in Imperio toleratis addictos, cum ad annos discretionis venerint, & sic liber- tate Religionis per Leges publicas stabilita gaudent, contra eorum voluntatem & conscien- tiam, ut in casu presenti petitur, ad aliam Religionem cogere, quòd ex num. 7. patet, & num. seq. mox ostendetur ex Ad- versariorum quoque principiis, & doctrina. Igitur nec vi promissionis à patre factæ obli- gatur filius Catholicam deserere, & in Lu- therana instructionem accipere.

9. Ad Idem Respondendum est, filium nec à Patre, nec ab ullo alio homine contra vo- luntatem, & conscientiam suam cogi posse ad Religionem Catholicam deserendam, & Lutheranam amplectendam. Responsio ni- titur generali principio, quòd nullus sui com- pos ad fidem cogendus sit: igitur nec pro- les, si sit doli capax, cogi à patre, vel aliquo alio ad eam potest, sed suæ libertati est re- linquenda. Si verò ad fidem cogi non po- test, multò minus cogi potest ad eam sectam, quam ipse Filius in sua conscientia judicat esse erroneam. Principium allatum certum imprimis est de Jure Canonico; sic enim de- finitum est

in Concilio Toletano IV. c. 56. & refer- tur can. de Judais. §. dist. 45.

ubi hæc verba habentur: *de Judais autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Et subjungit ratio- nem: Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitia.* Idem statuitur

can. ad fidem. 33. caus. 23. q. 5.

ubi ex Augustino

contra Litteras Petiliani lib. 2. c. 83.

recensentur hæc verba: *ad fidem nullus est co- gendus invitus, sed per severitatem, imò & per misericordiam DEI, tribulationum flagellis so- let perfidia castigari.* 2. Idem principium quoad Religiones, saltem Catholicam & Lu- theranam, in Imperio toleratas statutum est per Pacem Religionis, Reversus Imperii cæ-

teros, & maximè Instrumentum Pacis Mo- nasteriensis, ut supra vidimus. Assentuntur Adversarii nostri ipsimet, & ex his Juris-Con- sulti gravissimi. Carpzovium jam supra num. 7. allegavimus, qui loco ibi citato clarè fatetur, *per Pacem Religiosam utramque Reli- gionem Pontificiam, & Lutheranam permissam esse, ita ut ab una ad aliam liber sit transitus.* In eundem modum loquitur

Petrus Syring *de Pace Religios. Concl. 38. Litt. A.* Brunneman. *in Cod. lib. 1. tit. 11. L. Christianis 6. de Pagan. & Sacrif. & Templ. n. 3.* ubi; *ob Religionem, inquit, nemini, qui quierè agit, vis inferen- da.* Consentit Hugo Grotius *lib. 2. de Jure belli ac pacis c. 20. §. 48. n. 2.*

Placet hic afferre ejusdem verba. *Alterum hoc est, inquit, Christo nova Legis Authori omnino hoc placuisse, ut ad Legem suam reci- piendam nemo hujus vitæ pœnis, aut earum metu pertraheretur.* In quam rem citat Con- stitutiones Clementis, ubi de Christo dicitur: *Liberam reliquit hominibus arbitrii potestatem, non morte temporali eos puniens, sed in altero sæculo ad reddendam rationem vocans.* Et Athanasium: *Dominus non cogens, sed liber- tatem suam voluntati permittens, dicebat qui- dem vulgò omnibus: si quis vult venire post me &c.* Et Chrysostomum in illa verba: *nunquid & vos vultis abire? Interrogat, an & ipsi ve- lint discedere, quòd omnem est amovenis vim ac necessitatem.* Addit Grotius

loc. cit. §. 50. Ob Religionem nemini inferendam vim, etsi falsa esse demonstra- ri possit. Et lib. 3. c. 15. §. 11. n. 1.

Hujus indulgentia, inquit (scilicet quam vi- ctor in victum habere debet) pars est avitæ Religionis usum victis, nisi persuasus, non eripere. Accedit, quòd etiam vulgus in plateis passim canit, & occinit, ac Regula est inter Adver- sarios nostros, summis, & infimis communis- sima, relinquendam omnibus conscientie li- bertatem; nullam vim inferendam volunta- ti: decere, ut in qua Religione aliquem DE- US constituit, in ea vivat, & moriatur &c. An ergo pro solis Confessionistis sunt ista principia? 3. Idem principium, quòd initio istius numeri dedimus, confirmatur à pa- ri: quia, ut exploratum est apud omnes Le- gistas, liberi inviti, & dissentientes, nec à pa- tre, nec ab ullo alio cogi possunt ad conjugiu- um, à quo abhorrent. Consentunt in hoc Doctores, & expressè docent Clarissimi ex Adversariis etiam Juris-Consulti,

SchneideWin lib. 1. Instit. tit. 10. p. 2. n. 41. Harprecht in princ. Instit. de nu- ptiis. n. 142. Eckolt in pandect. lib. 23. tit. 1. de sponsal. §. 4.

Habentur pro hoc clari textus ex Jure.

L. filiosamilias. 13. ff. de sponsal. l. non cogitur. 21. ff. de rit. nuptiar. l. nec fili- um. 12. C. de nuptiis. l. neque ab initio. 14. C. eod. tit.

Et hoc verum est,

ut

ut Harprecht *l. cit.* & SchneideWin *n.* 42. notat, etiamsi parentes vinculo pœnæ, vel juramenti se obstrinxerint: quia adhuc filius, aut filia non tenetur consentire, nec pater periurium incurrit, si filium, aut filiam ad hoc non cogat; semper enim intelligitur illud juramentum, si filius, aut filia velit. Rationem dat SchneideWin, *ne res, qua liberrima esse debet, coacta, & necessaria fiat.* Atqui si cogi non potest homo ad despondendum se homini, num cogi poterit ad adherendum certæ Religioni, præsertim illi, quæ omnibus disquisitis eidem videtur erronea, & falsa? in nuptiis faciendis natura homini libertatem reliquit, & in salute quærenda duris necessitatibus, & coactionis vinculis adstringetur? an sequela, & mala minora sunt, cum quis cogitur contra voluntatem suam nubere alteri, quam sint sequela, & mala, cum quis adigitur contra conscientiam suam abdicare Religionem, quam certò judicat veram, & sequi Religionem, quam certò existimat falsam? Denique si Adolefcens in Lutherana secta à puero educatus, à parentibus suis ejusdem fidei avulsus, à Catholico Magistratu cogere- tur renitens, & invitus in Convictu Catholico vivere, Scholam Catholicam accedere, pati, ut imbuatur in Religione Catholica, nunquid non omnibus viribus contraniterentur Adversarii nostri? Ita certè faciunt, & fecerunt hæc tenus; quia existimant etiam vitandum periculum: cur igitur non eodem jure etiam Catholicis istud liceat? an licitum aliquid esse potest Themistocli, quod non simul eodem jure utenti Epaminondæ permisum sit? Potest igitur Pater, potest filius ejusdem tutò provocare ad Pacem Religionis, & Recessus Imperii: potest jure, quod per Pacem Monasteriensem eidem quæsitum est, eundem mittere ad Scholas Catholicas, nec obstringi potest, ut revocet eundem à fuga, cum cuivis Religionis causâ discedere volenti liber sit abitus, & patens ad istum janua. Neque obstat hic iterum Patris promissio; quia hæc, ut sæpè dictum, absoluta non fuit, & si fuisset, interea mutata sunt circumstantiæ, & filius in ea ætate positus, ut libertas illi per jus naturæ, Divinum, & humanum omnino competat in hoc puncto, quod salutem animæ, & Religionem concernit.

QUÆRITUR IV.

An Titius ad eam, qua in Consistorio ipsi dictata est, pœnam jure condemnari possit, eò quòd filius aufugerit, & Titius Consistorio eundem sistere non potuerit?

IO. **R**esp. Non posse. Probat: ubi culpa non est, pœna locum non habet.
C. 23. de Regul. jur. in 6.
R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

Hæc enim solum appendix est culpæ. Atqui in Titio nulla est culpa; nisi culpa sit non intulisse vim filio per Recessus Imperii, per Pacem Religionis, per ipsa naturæ jura inferri prohibitam. Si in hoc reus est Titius, quidlibet, quod æquum est, iniquum fiet. 2. Si culpa aliqua esset, esset in filio, quòd aufugerit, postquam pater accepit, & filio significavit Decretum Consistorii de eo sistendo: atqui propterea puniri pater non potest; nam iniquum, & naturali æquitati contrarium est non delinquentem ex delicto alterius puniri.

L. 3. & 4. C. ne filius pro patre, vel pater pro filio. L. ob maritum. 2. C. ne uxor pro marito. L. res uxoris. 24. C. de donat. inter vir. & uxor.

3. Hæc fuga filii culpa non fuit; quia in hoc usus est suo jure, quod per Pacem Monasteriensem, ut *num. 7.* Ostendimus, omnibus datum est, ut discedere à patria sua causâ Religionis possint, quando liberit; secutus est præceptum Christi, quod ad Discipulos suos dedit: *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Matth. 10. 23.* Et denique fecit, quod per jus naturæ datum est omnibus, prospiciendo videlicet sibi de iis mediis, per quæ tutior foret eidem salus. Igitur etiamsi fugæ istius aliquo modo particeps fuisset Titius, propterea tamen puniri non posset. 4. Sed neque si fuga hæc illicita fuisset, propterea posset puniri Titius; nam incio patre facta est, ad quod etiam juramento contestandum se offert; & postquam pridie, quam sistere filium sub pœna 1000. Imperialium jubebatur, ad parendum filius promptus, paratusque juvenis est. Atqui is, quo incio crimen fit, si suspicionem illius habere non potuit, crimen huic neque ad culpam, neque ad pœnam imputari potest, sed haberi debet pro facto respectu ipsius merè fortuito: ergo &c. 5. Si aliquid esset, quod patrem culparet, hoc esset, quia fortè argui negligentia posset: atqui pater volebat filium die à Consistorio statuta sistere, & quòd non citius stiterit, negligentia culpa potius in Consistorio residet, quod in Decreto dato à Serenissimo tandiu moras traxit, dum adolefcens advertens periculum violentiæ sibi inferendæ fugâ sibi consuluit. 6. Nemo puniri potest, nisi sufficienter probetur reus. Reus autem fugæ istius ostendi satis non potest Titius: imò fat certis indiciis se innocentem ostendit; obtulit enim se ad suggerendas expensas pro filio alibi sustentando, & tantum deprecatus est, ne ipse positivè teneretur concurrere, quod per conscientiam suam non poterat: deinde ipsemet eundem ad parendum hortatus est, ita ut pridie, antequam fugeret, paratum ille se ostenderit ad parendum; denique hanc repentinam fugam filii ipsemet Consistorio indicavit, cum oblatione juramenti contestans, se nulla ex parte hujus esse participem. 7. Denique qui fecit, quantum potuit, culpæ reus, & pœna dignus cen-

feri non potuit: Titius, ut dictum est, fecit, quod potuit; suadere enim facta aliena possumus, at necessitare ad ista aliorum voluntatem non possumus: igitur nec culpæ reus, nec penâ dignus est Titius, & consequenter

gravem ei injuriam fecit Consistorium, dum ad mille Imperialium mulctam eundem condemnavit; quam pecuniam jure optimo repetere potest Titius, cum sit iniquè, & contra Leges extorta.

CONSILIUM III.

In Causa Matrimonii ob metum dissolvendi.

SUMMARIUM.

1. Proponitur facti species.
2. Matrimonium gravi metu, & injustè extortum, irritum est jure positivo, licet jure naturali probabiliter valeat. Ad metum gravem tria requiruntur.
3. Idem metus, per quem ceteri contractus veniunt rescindendi, imò etiam levior, sufficit ad irritandum Matrimonium. Afferuntur exempla metus gravis.
4. Metus alius est absolutè, alius respectivè gravis. In particulari an metus sit gravis, vel levis? disquirendum relinquitur judicio prudentium, & Judicis.
5. Metus incussus non præsumitur, sed probandus est per testes. Admittuntur autem etiam testes domestici & familiares, non tamen pauciores, quàm duo.
6. In defectu testium probatur metus etiam conjecturis, cujusmodi plures referuntur.
7. 8. In præsentis casu Matrimonium contractum fuit metu gravi, & injusto, consequenter invalidè.
9. 10. 11. Metus gravis in eodem casu sufficienter probatur tum per testes, tum per conjecturas, & indicia.
12. Non fuit purgatus metus per cohabitationem triennale.
13. Bertha admitti ex abundantia potest ad juramentum, etsi hoc tendat ad dissolutionem Matrimonii.
14. Potest hoc casu Jdex procedere ad sententiam declaratoriam nullitatis Matrimonii.

FACTI SPECIES.

I.



Bertha, honestorum parentum filia, à cubiculari serviebat Illustri cuidam Dominae, cujus Conjux cum familiarior paulatim eidem fieret, suspicionem incurrit illa de illicito cum eodem consortio. Hinc ad Judicem delata, in ærumnosum carcerem conjecta est; quia verò post testes plurimos, etiam juratos, auditos convinci non poterat, quarto custodiae suae mense libera dimissa est; injuncto tamen præcepto, ut domo, & famulatio priore discederet. Parata illa erat parere, rediit tamen, eo præcisè animo, ut gratias ageret Hero, & Heræ de suppeditato interea in carcere victu. Sed ut illa rediit, Herus etiam reluctantem detinuit, utque satisfaceret Judici, eidem significat, puellam adhuc ante tempus Adventus (ad cujus initium non nisi 14. dies restabant) nuptias habituram. De istis illa ne cogitabat quidem, & propterea re cognita, fortiter restitit, causata, se ab ærumnis & infamia carceris profusè afflictam, & perturbatam, non posse facere resolutionem tam arduam. Quia verò Herus verbum dederat Judici, ne promissum non servasse videretur, tam importunis suasionibus, iris, &

minis institit Berthæ, ut (quia merito hominem ferocem metuit, nec effugere potuit, assidue domi observata) tandem cedere coacta fuerit. Animus adeò invitus adhuc magis reluctantus est; quando quaesitus, & in Sponsum eidem oblatum est Sempronius, ab Hero Illustri in Praefectum pagi sui assumptus, sed puella nunquam visus, qui ita mox eidem displicuit, ut constanter asseruerit, se hominem amare planè non posse. Facienda nihilominus erant Sponsalia, animo quidem profusè invito. Hinc quamprimum omnem viam evadendi puella quaesivit; nam primò ad Sponsum misit (prout ipsemet fatetur, & defacto judicialiter factus est) ut differrentur denuntiationes Matrimonii. Quia verò is recusavit petitis annuere, illa, cum nec amicum, nec opem aliunde sperare poterat, meditata fugam est; & in hunc finem veredarios equos constituit, eodem adhuc die abitura. Sed observata à famulo; Hero prodita est, qui mox postam inhiberi jussit, puellam verò ad res suas convasandas domum reversam in ipsis adhuc scalis acerbè excepit, & in superiora domus actam, cubiculo inclusit, custodivitque ipse usque in diem nuptiarum. Hæc cum appetiit, idem Herus Sponsum & Bertham instantissimè reluctantem currui impositos, secum in pagum avexit, ubi dispensatione ab Ordinario